

annataffe. Immisit ex arce peditem Sforcia; ubi suos in 1439
 urbe esse, & jam passim fugam ab hoste fieri audivit.
 Circa pontes aliquandiu laboratum: sed injectis repente
 facibus in eum qui a proxima navium statione nomen for-
 titur, civibusque introrsum juvantibus, factus est Sforcia-
 nis in medium urbem erumpendi aditus. Hæc Blundus.
 Pasius vero ait, ex ipsis arcibus bipartito in subjectum ho-
 stem copias missas, ita ut præter Zenonis ædem, quæ in
 monte est, equitatus ad lœvam, peditum robur præter
 Fœlicianam arcem, & alteram Divi Petri, quæ inferiore
 loco est, sit in subjectam urbem demissum: atque sub
 ipsum solis occasum dextra lœvaque ad pontem novum in
 hostem dimicatum: postque atrocissimum prælium, fuga
 ab hoste facta, ad quam ob nimiam trepidationem sit
 ruina pontis secuta. Cæterum idem auctor est, eo con-
 gressu Joannem Gonzagam graviter vulneratum, nec mul-
 to post ex accepto vulnere interiisse: quem Blundus ait
 circa Fœlicianam arcem ante Sforciæ adventum tragula-
 ïtum occubuisse. In eo utrique convenit, Navalem pon-
 tem, noctu igne injecto, expugnatum: quo refracto, Picini-
 nus & Gonzaga, qui per multam noctem structa acie an-
 te prætorium steterant, audita Sforcianorum eruptione,
 se in Civitatulam receperunt. Sunt qui sub occasum solis
 id ab eis factum dicant. Sed sive tunc, sive ad altam no-
 ctem cesserint, in eo omnibus convenire video, ante lu-
 cem Verona profectos citato agmine Vigasium abiisse.
 Troilus & Ciarpellio, ubi hostes abire cognitum est, ad
 insequendum missi, extremum abeuntium agmen assecu-
 ti, multa impedimenta, & cum his aliquot mortales op-
 pressere. Præter eos qui circa pontes perierunt, Mantua-
 norum agrestium vis ingens in urbe capta est: quidam
 etiam a civibus, quorum res direptæ fuerant, in Gonza-
 gæ invidiam obtruncati. Civitas, quæ fere tota alteru-
 trius partis metu clausis domibus se in privato continue-
 rat, ancipitis pugnæ eventum expectans, postquam rem
 jam aperte inclinatam, hostemque trepidare vidit, mul-
 tis in eum abeuntem conviciis ex superiore loco jactatis,